

fuit dominium dyaboli super Iob et Pillati super Christum et Neronis super Petrum et Paulum et aliorum imperatorum ydolatrarum super populum christianum. Hec enim omnia dominia et similia introducta sunt non dei providentia sed deo permittente sic evenire, ex occultis suis causis sed non iniustis, ut supradictum est.

cap. 105 Quod Constantinus imperator numquam fuit verus^{a)} imperator.

De secundo, scilicet utrum aliquis imperator hereticus aut ydolatra fuerit umquam verus imperator vel esse possit, est sciendum quod corpus mysticum ecclesie sive corpus populi christiani ex sacramentis nove legis instituitur scilicet baptismo penitentia et aliis, ut qui non est baptizatus de corpore populi christiani esse non possit. Cum ergo imperator sit capud et princeps totius populi christiani, oportet quod sit de corpore, quia esse capud dicit coniunctionem cum corpore. Datis ergo imperatoribus ydolatris a tempore Neronis usque ad magnum Constantinum solo imperatore Phylipo^{b)} excepto¹⁾ sequitur, quod nullus fuit capud populi christiani, quia baptizati non erant, imo erant omnino^{c)} abscisi et separati a corpore. Dicere²⁾ ergo quod imperator vel papa vel princeps vel prelatus hereticus vel ydolatra sit capud populi christiani, est dicere quod est abscisus a corpore et non abscisus, quod implicat contradictionem et deus hoc facere non posset. Item, ille dicitur imperator et dominus rerum temporalium, qui ipsis rebus temporalibus utitur vel habet potestatem utendi. Cum ergo solus deus sit dominus rerum temporalium ratione creationis formationis et possessionis, ut supradictum est capitulo LVI, nullus³⁾ possidet iuste aliquod dominium temporale secundum ius divinum, nisi a deo recognoscat et ipsius dominio voluntarie se ipsum subiciat et nisi utatur ad illum finem rebus temporalibus ad quem facte sunt³⁾, sicut supradictum est capitulo LVIII. Ideo quia Nero et alii imperatores infideles istum modum debitum non servabant, ipsorum dominium erat tyrannicum et temporalia iniuste possidebant. Unde Adam <et> Saul, quia dei voluntati contradixerunt, dominia temporalia perdiderunt. Unde dicit Augustinus⁴⁾, quod de iure divino omnia temporalia sunt iustorum. Est ergo conclusio talis, quod⁵⁾ a tempore quo Nero imperator et senatus^{d)} et populus romanus comuni consensu apostolos interfecerunt et fidem Christi persequi ceperunt, quod imperium romanum destructum fuit et finitum. Et ex^{e)} tunc quicumque voluit potuit imperatori rebellare, nec ex tunc licitum fuit^{f)} christianis imperatorem vel regem hereticum vel ydolatram super se facere, maxime imperatorem ad ydolatriam cogentem; quo facto solvitur ius servi ad dominum et fidelitas vassalli ad dominum et fedus matrimonii, quod maius est omnibus^{g)} istis, Deuter. x.⁶⁾: 'Non poteris super te facere regem alterius gentis hominem'⁵⁾. De hoc satis dictum est supra capitulo LVIII.

cap. 105 a) om. B b) Filippo imperatore tr. W c) non W d) romanus add. B e) om. W f) fuit licitum tr. W g) om. W

¹⁾ Vgl. z. B. Martin von Troppau, Chron. pont. et imp. (MG SS 22, 448 f.) und Landulf Colonna, Brev. histor., Paris BN lat. 4912 f. XCVr. ²⁾ Zu diesem Gedanken vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 195, 10 ff. = De causa immediata eccl. pot., art. IV. f. 49r.

³⁾ nullus — sunt vgl. Alexander a S. Elpidio, De eccl. pot. II 9, 2 S. 26 und Jakob von Viterbo, De reg. christ. 2, 7 S. 241; ferner Aegidius Romanus, De eccl. pot. 2, 7 (ed. R. Scholz 1929) S. 74.

⁴⁾ Vgl. C. 23 q. 7 c. 1. ⁵⁾ quod — hominem vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 246, 33—247, 6. ⁶⁾ Dt. 17, 15.